





4.

60

VIRO

Pietate, virtute, Eruditione  
præstantissimo

Dn. ANDREÆ IOSÆO  
Scholæ Servestanæ Cantori  
S P O N S O.

*Cum*  
Feminâ honestissimâ

U R S U L A

Viri quondam Prudentissimi  
Amplissimi

Dn. JOACHIMI PINCOVII p.m.

Reipub. Servestanæ quondam Consulis, &c.  
relieta vidua

S P O N S A.

A. D. XIII. Cal. Decembr.


ANNI

CIC. IGC. XV.

Nuptias Servestæ celebranti  
Gratulantur Discipuli.

S E R V E S T A E

Typis Zachariæ Dörfferi.





**R** Ecce facis, doctissime  
Josæe, jungis conjugem  
Quod VRSVLAM tibi vinculo  
Amoris insolubili.

Namq; ille rerum conditor,  
Post universum conditum  
Mundum, tori sanctissima  
Jura ipse sancivit Deus.

Quænam ergo vis, cultissime  
JOSÆE, nuncupem tuis  
Jam nuptiis, quænam VRSVLÆ  
Vis vota nucupem tuæ?

Quicquid bonorum amoribus,  
Quicquid piorum nuptiis  
Æquum est precari, amoribus  
Vestrīs precorq; nuptiis.

Sit una mens, quæ conjuges  
Jungat novos: Concordia,  
Amor, Fides vos copulet,  
Ne turbet ædes lis mala.

O alme rerum conditor,  
Auctorq; vitæ cœnjugum,  
Da, nostra quæ mens augurat,  
Eventus ipse comprobet,

*Gratitudinis ergo  
scribebat*

*Michael Stigelius Cothenus*

*Scholæ Servestane*

*Alumnus,*

A 2

ALI-

---

A L I U D.

**E**n tibi fausta dies venit, ô carissime Sponse,  
Quâ celebras thalamo festa parata tuo.  
Scilicet ista tibi divino munere Sponsa  
Contigit antiquis moribus atq; piis.  
Vincula namq; Deus sacra introduxit in orbem,  
Fecit & unanimi vivere Carne duos.  
Ergo tibi thalamum, Cantor doctissime, faustum  
Gratulor, & parilis mutua vinculatori,  
Vincula quæ valeant semper, dum Cana senectus  
Incidit, & præfens dum tibi vita manet.  
Vivite concordes ambo, depellite lites,  
Avobis absint iurgia dira procul.  
Ipsa precor vobis benedicat Numinis aura,  
Vos superas cœli transferat inque domos.  
Sancte Patris summi Flatus, Natiq; potestas,  
Cujus inextinctus flamine spirat amor:  
Amborum pariles affla sub pectore flammæ;  
Tu fac ut valeant hæc mea vota, Deus!

*Præceptor F.  
Andreas Majorius  
Servestaa-Anhaltinus.*

---

A L I U D.

**Q**uis, quæso, multum Præceptor amande, cele-  
Ingenii dotes versibus ipse tuis? (brem  
Quo Spōnsæ cantem præclaras carmine laudes,  
Quæ splendent, veluti Sol micat ipse polo?  
Namq; mihi sterilis planè est, est arida vena,  
Nec docto præstò est carmine Apollo mihi.  
Nam degustavi dulcem vix ritè labellis  
Picridumq; amnes Thespiadumq; sacros,

Hæc

Hæc aliis igitur memoranda ego carmine linquo ,  
Quæsis magis ex animo docta Minerva favet.  
Propterea paucis feror ad pia vota precesq; ,  
Maximus exaudit vota precesq; D E u s .  
Faxit cunctipotens celsi moderator olympi ,  
Qui servat validâ cuncta creata manu ,  
Faxit , ut aspiret fors dextera ubiq; locorum ,  
De summo cœptis æthere missa tuis .  
Faxit concordes , veluti cum turtur turtur ,  
Vivatis semper nocte dicq; D E u s .  
Faxit , & ut pylios vivatis molliter annos ,  
Nestoris & perquam secula multa senis .

Præceptor i & Affini suo F.  
Johannes Pincovius  
Cotheno- Anhaltinus.

---

A L I V D.

O Mnibus in rebus si quis vult cœpta jubente  
Numine succedant prospera cuncta sibi :  
Principium , finemq; DEUM mediumq; vocabit ,  
Nil planè in vitâ quo sine nostra valent .  
Tu certè celebrans thalami felicis honores ,  
Præceptor , studii portio magna mei :  
Conjugii auctorem precibus votisq; fatigas ,  
Successu ut fausto prosperet ille torum .  
Quæsis sua Discipuli , Sponse ò Doctissime , jungunt ,  
Adjungam votis quæsis mea vota piis .  
Nam pia deque pio devoto & corde profecta  
Vota movent homines , Vota moventq; DEUM :  
Floreat illorum thalamus , fac , alme JEHOVA ,  
Non lis hunc unquam turbet amara torum .  
Vivite felices SPONSA VR-VLA , SP N E JOSÆE ,  
Vivite Mathusalæ secula longa senis .

A 3

Vive



Vive pius; casta quondam ut vixisse TOBIAM.  
Cum SARA legimus, SPONSE Colende, Vale,  
*Grati animi declarandi causâ*  
*Præceptoris F.*  
*Abrahamus Cremerus*  
*Freistadio. Silesius.*  
*Junior.*

## A L I U D.

**Q**uite non statuat quater beatum,  
O qui cultus ab Eruditione  
Insigni teneram doces juventam?  
O qui moribus expolitus aeri  
Exemplo instituis tuo docentes!  
Claris dotibus aucta cui venustra  
Virtutum VRSVLA Sponsa ab ipso Jhova  
Datur. Quis statuat quater beatam  
Te non, SPONSA decusq; honorq; honesti  
Cœtus feminei, tibi Jehova  
Sponsum consociavit in perennem  
Torum, qui valet Eruditione,  
Quemq; almus decoravit arte multâ  
Phœbus. Si mea vota apud Jehovaham  
Valebunt aliquid: preces subinde  
Fundam, scilicet ut Jehova vestra  
Firmit foedera, firmet usq; mantes  
Nexu haud dissociabili plicatas,  
Tandem actus bene prosperando vestros,  
Vos in cœlicolum reportet aulam.

*In gratiam Præceptoris F.*

*Joannes Cremerus*  
*Servesta-Anhaltinus.*  
*Freistadio. Silesius.*  
**ALI.**

A L I U D.

O qui Thespiadum claris versatus in hortis,  
O qui præclara notus ab arte venis:  
O qui doctorum non ultima fama virorum,  
Qui decus es patriæ, qui decus omne tuis.  
O prope divino Præceptor honore colende,  
Depromens varia è divite dona penū.  
Hæc tua cœpta regat Dominus, qui fautor & autor  
Conjugii, atq; suâ, SPONSE, secundet ope;  
Mentes ut stabili jungat concordia nexu,  
Floreat ut vester non periturus amor.  
Horti, conjugium vestrum sit, fertilis instar;  
Qui reddat fructus, sicut oliva, suos.  
Immò dum lateri tibi Sponsa adjungitur, ipse  
Gratulor & vobis prospera cuncta precor,  
Conjugibus quæcunq; novis David ipse precatus  
In Psalmo, vates præmia quo numerat  
Illa, quibus veræ ornantur pietatis amantes,  
Quem tibi quem tædis dedico, SPONSE, tuis.

O Nimiūm felix, ô terg<sub>3</sub>, quaterg<sub>3</sub>, beatus,  
Qui Domini puro jussa timore colit,  
Qui cavet à vero deflectere tramite vita,  
Summo cum studio qui fugit omne nefas!  
Temanuum assidui pascent duriq<sub>3</sub> labores;  
Fercula nam carpes parta labore tuo.  
Copia partarum rerum simul affluet omnis,  
Innumeræsg<sub>3</sub> tibi fundet agellus opes.  
Nobilis ut palmes dulci fætu quasi prægnans,  
Et comis cingens undiq<sub>3</sub> tecta domus,

PSAL.  
CXVIII.

Exhi-



Exhilarans animum prædulcia gaudia gignit,  
Imbuit & suavi pectora lœtitia.  
Sic tua proveniens conjux à principe summo,  
Qui sacrum instituit conjugiumq; piuum,  
Est medicina tibi semper dulcissima, grata  
Mentem lœtia recreat atq; tuam.  
Quam multus placidæ succrescit palmes olive,  
Tu quoq; tam multa prole beatus eris.  
Pignora que mensam circum tot chara videbis,  
Quas tibi lœtias, gaudia quanta ferent.  
Te Deus aspiciet placatus abarce Sionis,  
Ac in te subito depluet omne bonum.  
Legibus ut justis, & festâ pace nitentem  
Conspicias Solymam mœnia sacra D E I.  
Atq; tuam vitam perlongo tempore ducas,  
Natorum natos ut numerare queas.

Hos ergo versus placido tu suscipe, SPONSE,  
Vultu, & cum Sponsâ consule quæso boni.  
Vivite concordes multos feliciter annos,  
In laudem & cedant omnia vestra DEI.  
Mens sana & validæ sint sano in corpore vires,  
Ære crumena, domus pane meroq; crepet.  
Ac semel amborum qui pectora copulat unus,  
Perpetuò vigeat, crescat & urat amor.

In gratiam  
Præceptoris sui F.  
Felix Haustadius  
Servest-a-Anhaltinus.

F I N I S.

Cl 1926




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindemeister  
Merseburg a. S.

VDA




B.I.G.

# Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White Black

Centimetres      Inches



Cruditione  
mo  
C IOSÆO  
næ Cantori  
S O.

tissimâ  
L A  
dentissimi  
i  
NCOVII p.m.  
dam Consulis, &c.  
ia  
s A.  
Decembr.  
X V.  
celebranti  
cipuli.

Æ  
Dörfferi.

60